



1

10 Oct. 1940



## OFFICIUM

RECITANDUM

# NOCTE NATIVITATIS DOMINI

## CUM TRIBUS MISSIS

EJUSDEM SOLEMNITATIS

juxta novissimas præscriptiones

PII PP. X et S. RR. C. reformatum.

---

*Reimpressio Septima stereotypa.*

---

Reg. entr. 78


TYPOGRAPHIA FILII ANTERO CONCHA


GUADALAXARA

MCMXL

1999\$

11





## OFFICIUM

RECITANDUM

# NOCTE NATIVITATIS DOMINI CUM TRIBUS MISSIS

EJUSDEM SOLEMNITATIS

juxta novissimas præscriptiones

PHI PP. X et S. RR. C. reformatum.

---

*Reimpressio Septima stereotypa.*

---

TYPOGRAPHIA FILII ANTERO CONCHA

GUADALAXARA

MCMXL

Reg. 55170

15851



V. Concordat cum exemplaribus authenticis.

Taurini, die 14 Novembris 1923.

Sac. AUGUSTINUS GROGNO, Rev. Archiep.

---

Imprimatur.

Taurini, die 15 Novembris 1923.

C. FRANCISCUS DUVINA, Deleg. a Vic. Capit.

(17-XII-14-31—9-XII-25-50)

---

OFFICIO RECITANDUM

IN NOCTE NATIVITATIS DOMINI

---

AD MATUTINUM

- Pater noster, Ave María et Credo.  
V). Domine, labia mea aperies.  
R). Et os meum annuntiabit laudem tuam.  
V). Deus, in adjutorium meum intende.  
R). Domine, ad adjuvandum me festina.  
Gloria Patri. Sicut erat. Alleluja.  
*Invitatorium* Christus natus est nobis:  
\* Venite, adoremus.  
*Et repetitur* Christus natus est nobis:  
venite, adoremus.

*Psalmus 94*

Venite, exsultemus Domino, jubilemus  
Deo, salutari nostro: præoccupemus fa-  
ciem ejus in confessione, et in psalmis  
jubilemus ei.

Christus natus est nobis: venite, ado-  
remus.



Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos: quoniam non repellit Dominus plebem suam: quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, et altitudines montium ipse conspicit.

Venite, adoremus.

*In sequenti Psalmi Versu, ad verba:  
venite, adoremus, et procidamus ante  
Deum, genuflectitur.*

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus: venite adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster: nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.

Christus natus est nobis: venite, adoremus.

Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem temptationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea.

Venite, adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas: quibus juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.

Christus natus est nobis: venite, adoremus.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Venite, adoremus.

Christus natus est nobis: venite, adoremus.

*Hymnus*

Jesu, Redemptor omnium,  
Quem lucis ante originem  
Parem paternæ gloriæ,  
Pater supremus edidit.

Tu lumen, et splendor Patris.

Tu spes perennis omnium,  
Intende quas fundunt preces  
Tui per orbem servuli.

Memento, rerum Conditor,  
Nostri quod olim corporis,  
Sacrata ab alvo Virginis  
Nascendo, formam sumpseris.

Testatur hoc præsens dies,  
Currens per anni circulum,  
Quod solus e sinu Patris  
Mundi salus adveneris.

Hunc astra, tellus, æquora,

Hunc omne, quod cælo subest,

Salutis Auctorem novæ  
Novo salutat cantico.  
Et nos, beata quos sacri  
Rigavit unda sanguinis;  
Natalis ob diem tui  
Hymni tributum solvimus.  
Jesu, tibi sit gloria,  
Qui natus es de Virgine,  
Cum Patre, et almo Spiritu,  
In sempiterna sæcula. Amen.

### IN I NOCTURNO

*Ant.* Dominus dixit \* ad me: Filius  
meus es tu, ego hodie genui te.

### *Psalmus 2*

Quare fremuerunt Gentes, \* et populi  
meditati sunt inania?

Astiterunt reges terræ, et principes con-  
venerunt in unum \* adversus Dominum,  
et adversus Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: \* et projici-  
ciamus a nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in cælis, irridebit, eos: \* et  
Dominus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua, \* et in  
furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum Rex ab eo

super Sion montem sanctum ejus, \* prædicans præceptum ejus.

Dominus dixit ad me: \* Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi Gentes hereditatem tuam, \* et possessionem tuam terminos terræ.

Reges eos in virga ferrea, \* et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc, reges, intelligite: \* erudimini, qui judicatis terram.

Servite Domino in timore: \* et exsultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, nequando irascatur Dominus, \* et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus, \* beati omnes qui confidunt in eo.

Gloria Patri.

*Ant.* Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

*Ant.* Tamquam sponsus. \* Dominus procedens de thalamo suo.

### *Psalmus 18*

Cæli enarrant gloriam Dei, \* et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum, \* et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones, \*  
quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum:  
\* et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: \* et  
ipse tamquam sponsus procedens de tha-  
lamo suo:

Exsultavit ut gigas ad currēdam viam,  
\* a summo cælo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum  
ejus: \* nec est qui se abscondat a calore  
ejus.

Lex Domini immaculata, convertens  
animas: \* testimonium Domini fidele,  
sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lœtificantes cor-  
da: \* præceptum Domini lucidum; illu-  
minans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in  
sæculum sæculi: \* judicia Domini vera,  
justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem  
pretiosum multum: \* et dulciora super  
mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea, \* in  
custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis  
munda me: \* et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc im-

maculatus ero: \* et emundabor a delicto  
maximo.

Et erunt ut complacent eloquia oris  
mei: \* et meditatio cordis mei in conspe-  
ctu tuo semper.

Domine, adjutor meus, \* et redemptor  
meus.

Gloria Patri.

*Ant.* Tamquam sponsus, Dominus pro-  
cedens de thalamo suo.

*Ant.* Diffusa est \* gratia in labiis tuis,  
propterea benedixit te Deus in æternum.

*Psalmus 44*

Eructavit cor meum verbum bonum: \*  
dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ, \* velociter  
scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, dif-  
fusa est gratia in labiis tuis. \* propterea  
benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum,  
\* potentissime.

Specie tua et pulchritudine tua \* in-  
tende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem,  
et justitiam: \* et deducet te mirabiliter  
dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te ca-  
dent, \* in corda inimicorum Regis.

Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi: \*  
virga directionis, virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquita-  
tem: \* propterea unxit te Deus, Deus  
tuus, oleo lætitiae præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis  
tuis, a domibus eburneis: \* ex quibus de-  
lectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit regina a dextris tuis in vestitu  
deaurato, \* circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem  
tuam: \* et obliviscere populum tuum, et  
domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum: \*  
quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et  
adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus \* vultum  
tuum deprecabuntur: omnes divites ple-  
bis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus,  
\* in fimbriis aureis circumamicta varie-  
tatibus.

Adducentur Regi virgines post eam: \*  
proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exsultatione: \*  
adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt tibi filii: \*

constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui: \* in omni generatione et generationem.

Própterea populi confitebuntur tibi in æternum: \* et in sæculum sæculi.

Gloria Patri.

*Ant.* Diffusa est gratia in labiis tuis,  
propterea benedixit te Deus in æternum.

V). Tamquam sponsus.

R). Dominus procedens de thalamo suo.

Pater noster *secreto usque ad*

V). Et ne nos inducas in temptationem.

R). Sed libera nos a malo.

*Absolutio Exaudi, Domine Jesu Christe,* preces servorum tuorum, et miserere nobis: Qui cum Patre, et Spiritu Sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum.

R). Amen.

V). Jube, domne, benedicere.

*Benedictio Benedictione perpetua benedicat nos Pater æternus.*

R). Amen.

Tres sequentes *Lectiones Isaiæ leguntur sine titulo.*

*Lectio I*

*Cap. 9, 1-6*

Primo tempore alleviata est terra Za-

bulon, et terra Nephtali: et novissimo ag-  
gravata est via maris trans Jordanem  
Galileæ Gentium. Populus qui ambulabat  
in tenebris, vidit lucem magnam: habi-  
tantibus in regione umbræ mortis, lux  
orta est eis. Multiplicasti gentem, et non  
magnificasti lætitiam. Lætabuntur coram  
te, sicut qui lætantur in messe, sicut ex-  
sultant victores capta præda, quando divi-  
dunt spolia. Jugum enim oneris ejus, et  
virgam humeri ejus, et sceptrum exactoris  
ejus superasti sicut in die Madian. Quia  
omnis violenta prædatio cum tumultu, et  
vestimentum mistum sanguine, erit in  
combustionem, et cibus ignis. Parvulus  
enim natus est nobis, et filius datus est  
nobis, et factus est principatus super hu-  
merum ejus: et vocabitur nomen ejus,  
Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis,  
Pater futuri sæculi, Princeps pacis.

V). Tu autem, Domine, miserere nobis.

R). Deo gratias.

R). Hodie nobis cælorum Rex de Virgi-  
ne nasci dignatus est, ut hominem perdi-  
tum ad cælestia regna revocaret: \* Gaudet  
exercitus Angelorum: quia salus æterna  
humano generi apparuit.

V). Gloria in excelsis Deo, et in terra  
pax hominibus bonæ voluntatis.

R). Gaudet exercitus Angelorum, quia  
salus æterna humano generi apparuit.

V). Gloria Patri, et Filio, et Spiritui  
Sancto.

*Et repetitur R).* Hodie nobis cælorum  
usque ad V). Gloria in excelsis.

V). Jube, domne, benedicere.

*Benedictio Unigenitus Dei Filius nos*  
benedicere et adjuvare dignetur.

R). Amen.

Lectio II

Cap. 40, 1-8

Consolamini, consolamini, popule meus,  
dicit Deus vester. Loquimini ad cor Jeru-  
salem, et advocate eam; quoniam com-  
pleta est malitia ejus, dimissa est iniqui-  
tas illius: suscepit de manu Domini du-  
plicia pro omnibus peccatis suis. Vox cla-  
mantis in deserto: Parate viam Domini,  
rectas facite in solitudine semitas Dei no-  
stri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis  
mons et collis humiliabitur: et erunt  
prava in directa, et aspera in vias planas.  
Et revelabitur gloria Domini: et videbit  
omnis caro pariter quod os Domini locu-  
tum est. Vox dicentis: Clama. Et dixi:  
Quid clamabo? Omnis caro fœnum, et om-  
nis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum

est fœnum, et cecidit flos: quia spiritus Domini sufflavit in eo. Vere fœnum est populus: exsiccatum est fœnum, et cecidit flos: Verbum autem Domini nostri manet in æternum.

V). Tu autem, Domine, miserere nobis.

R). Deo gratias.

R). Hodie nobis de cælo pax vera descendit: \* Hodie per totum mundum melliflui facti sunt cæli.

V). Hodie illuxit nobis dies redemptio-nis novæ, reparationis antiquæ, felicitatis æternæ.

R). Hodie per totum mundum melliflui facti cæli.

V). Jube, domne, benedicere.

*Benedictio Spiritus Sancti gratia illu-minet sensus et corda nostra*

R). Amen.

Lectio III

Cap. 52, 1-6

Consurge, consurge, induere fortitu-dine tua Sion, induere vestimentis gloriæ tuæ Jerusalem civitas sancti: quia non adjiciet ultra ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. Exutere de pul-vore, consurge, sede Jerusalem: solve vin-cula colli tui, captiva filia Sion. Quia hæc

dicit Dominus: Gratis venumdati estis, et sine argento redimemini. Quia hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus, quoniam ablatus est populus meus gratis? Dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus: et jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum, in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

V). Tu autem, Domine, miserere nobis.

R). Deo gratias.

R). Quem vidistis, pastores? dicite, annuntiate nobis, in terris quis apparuit? \* Natum vidimus, et choros Angelorum collaudantes Dominum.

V). Dicite, quidnam vidistis? et annun-tiate Christi nativitatem.

R). Natum vidimus, et choros Ange-lorum collaudantes Dominum.

V). Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

R). Natum vidimus, et choros Angelo-rum collaudantes Dominum.

IN II NOCTURNO

*Ant.* Suscepimus, \* Deus, misericordiam tuam in medio templi tui.

*Psalmus 47*

Magnus Dominus, et laudabilis nimis  
\* in civitate Dei nostri, in monte sancto  
ejus.

Fundatur exsultatione universæ terræ  
mons Sion, \* latera Aquilonis, civitas Re-  
gis magni.

Deus in domibus ejus cognoscetur, \*  
cum suscipiet eam.

Quoniam ecce reges terræ congregati  
sunt: \* convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, contur-  
bati sunt, commoti sunt: \* tremor appre-  
hendit eos.

Ibi dolores ut parturientis: \* in spiritu  
vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in civitate  
Domini virtutum, in civitate Dei nostri:  
\* Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus, Deus, misericordiam tuam,  
\* in medio templi tui.

Secundum nomen tuum, Deus, sic et  
laus tua in fines terræ: \* justitia plena  
est dextera tua.

Lætetur mons Sion, et exsultent filiæ  
Judæ, \* propter judicia tua, Domine.

Circumdate Sion, et complectimini eam:  
\* narrate in turribus ejus.

Ponite corda vestra in virtute ejus: \*  
et distribuite domos ejus, ut enarretis in  
progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in  
æternum, et in sæculum sæculi: \* ipse  
reget nos in sæcula.

Gloria Patri.

*Ant.* Suscepimus, Deus, misericordiam  
tuam in medio templi tui.

*Ant.* Orietur \* in diebus Domini abun-  
dantia pacis, et dominabitur.

*Psalmus 71*

Deus, judicium tuum regi da: \* et ju-  
stitiam tuam filio regis:

Judicare populum tuum in justitia, \*  
et pauperes tuos in judicio.

Suscipient montes pacem populo: \* et  
colles justitiam.

Judicabit pauperes populi, et salvos  
faciet filios pauperum: \* et humiliabit  
calumniatorem.

Et permanebit cum sole, et ante lunam,  
\* in generatione et generationem.

Descendet sicut pluvia in vellus: \* et  
sicut stillicidia stillantia super terram.

Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis: \* donec auferatur luna.

Et dominabitur a mari usque ad mare:  
\* et a flumine usque ad terminos orbis  
terrarum.

Coram illo procident Æthiôpes: \* et  
inimici ejus terram lingent.

Reges Tharsis, et insulæ munera offere-  
rent: \* reges Arabum et Saba dona ad-  
ducunt.

Et adorabunt eum omnes reges terræ:  
\* omnes Gentes servient ei.

Quia liberabit pauperem a potente: \*  
et pauperem, cui non erat adjutor.

Parcit pauperi et inopi: \* et animas  
pauperum salvas faciet.

Ex usuris et iniuitate redimet animas  
eorum: \* et honorabile nomen eorum cor-  
ram illo.

Et vivet, et dabitur ei de auro Arabiæ,  
et adorabunt de ipso semper: \* tota die  
benedicent ei.

Et erit firmamentum in terra in summis  
montium, superextolleetur super Libanum  
fructus ejus: \* et florebunt de civitate si-  
cut fœnum terræ.

Sit nomen ejus benedictum in sæcula:  
\* ante solem permanet nomen ejus.

Et benedicentur in ipso omnes tribus  
terræ: \* omnes Gentes magnificabunt  
eum.

Benedictus Dominus, Deus Israel, \* qui  
facit mirabilia solus.

Et benedictum nomen majestatis ejus  
in æternum: \* et replebitur majestate  
ejus omnis terra: fiat, fiat.

Gloria Patri.

*Ant.* Orietur in diebus Domini abun-  
dantia pacis, et dominabitur.

*Ant.* Veritas de terra \* orta est, et ju-  
stitia de cælo prospexit.

*Psalmus 84*

Benedixisti, Domine, terram tuam: \*  
avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ: \*  
operuisti omnia peccata corum.

Mitigasti omnem iram tuam: \* avertisti  
ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus, salutaris noster:  
\* et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis?  
\* aut extendes iram tuam a generatione  
in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: \* et  
plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam  
tuam: \* et salutare tuum da nōbis.

Audiam quid loquatur in me Dominus  
Deus: \* Quoniam loquetur pacem in ple-  
bem suām.

Et super sanctos suos: \* et in eos, qui  
convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salu-  
tare ipsius: \* ut inhabitet gloria in terra  
nostra.

Misericordia, et veritas obviaverunt  
sibi: \* justitia, et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: \* et justitia  
de cælo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem:  
\* et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: \* et po-  
net in via gressus suos.

Gloria Patri.

Ant. Veritas de terra orta est, et justi-  
tia de cælo prospexit.

V). Speciosus forma præ filiis hominum.

R). Diffusa est gratia in labiis tuis.

Pater noster secreto usque ad.

V). Et ne nos inducas in temptationem.

R). Sed libera nos a malo.

Absolutio Ipsius pietas et misericordia

nos adjuvet, qui cum Patre et Spiritu  
Sancto vivit et regnat in sæcula sæcu-  
lorum.

R). Amen.

V). Jube, domne, benedicere.

*Benedictio Deus Pater omnipotens sit  
nobis propitius et clemens.*

R). Amen.

Sermo sancti Leonis Papæ

*Sermo i de Nativitate Domini*

*Lectio IV*

Salvator noster, dilectissimi, hodie na-  
tus est: gaudeamus. Neque enim fas est  
locum esse tristitiae, ubi natalis est vitæ:  
quæ consumpto mortalitatis timore, nobis  
ingerit de promissa æternitate lætitiam.  
Nemo ab hujus alacritatis participatione  
secernitur. Una cunctis lætitiae communis  
est ratio: quia Dominus noster peccati  
mortisque destructor, sicut nullum a  
reatu liberum reperit, ita liberandis  
omnibus venit. Exsultet sanctus, quia ap-  
propinquat ad palmam: gaudeat pecca-  
tor, quia invitatur ad veniam: animetur  
Gentilis, quia vocatur ad vitam. Dei nam-  
que Filius secundum plenitudinem tem-  
poris, quam divini consilii inscrutabilis

altitudo disposuit, reconciliandam auctori suo naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis diabolus, per ipsam, quam vicerat, vinceretur.

V). Tu autem, Domine, miserere nobis.

R). Deo gratias.

R). O magnum mysterium, et admirabile sacramentum, ut animalia viderent Dominum natum, jacentem in praesepio:

\* Beata Virgo, cuius viscera meruerunt portare Dominum Christum.

v). Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum.

R). Beata Virgo, cuius viscera meruerunt portare Dominum Christum.

v). Jube, domne, benedicere.

Benedictio Christus perpetua det nobis gaudia vita.

R). Amen.

### Lectio V

In quo conflictu pro nobis inito, magno et mirabili æquitatis jure certatum est, dum omnipotens Dominus cum sævissimo hoste non in sua majestate, sed in nostra congrereditur humilitate: objiciens ei eamdem formam, eamdemque naturam, mortalitatis quidem nostræ participem, sed

peccati totius expertem. Alienum quippe ab hac nativitate est, quod de omnibus legitur: Nemo mundus a sorde, nec infans, cuius est unius diei vita super terram. Nihil ergo in istam singularem nativitatem de carnis concupiscentia transiit, nihil de peccati lege manavit. Virgo regia Davidicæ stirpis eligitur, quæ sacro gravidanda fœtu, divinam humnamque prolem prius conciperet mente, quam corpore. Et ne superni ignara consilii ad inusitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat a Spiritu Sancto, colloquio discit angelico: nec damnum credit pudoris, Dei Genitrix mox futura.

V). Tu autem, Domine, miserere nobis.

R). Deo gratias.

R). Beata Dei Genitrix Maria, cuius viscera intacta permanent: \* Hodie genuit Salvatorem sæculi.

V). Beata, quæ credidit: quoniam perfecta sunt omnia, quæ dicta sunt ei a Domino.

R). Hodie genuit Salvatorem sæculi.

V). Jube, domne, benedicere.

*Benedictio Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.*

R). Amen.

*Lectio VI*

Agamus ergo, dilectissimi, gratias Deo Patri, per Filium ejus in Spiritu Sancto: qui propter multam caritatem suam, qua dilexit nos, misertus est nostri: et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos Christo, ut essemus in ipso nova creatura, novumque figmentum. Deponamus ergo veterem hominem cum actibus suis: et adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam: et divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cuius capitis et cuius corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen et regnum.

v). Tu autem, Domine, miserere nobis.

R). Deo gratias.

R). Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio: \* Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

v). Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

R.) Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

v). Gloria Patri, et Filio, et Spiritui  
Sancto.

R). Quia quem cæli capere non poterant,  
tuo gremio contulisti.

### IN III NOCTURNO

*Ant.* Ipse invocabit \* me, alleluja: Pa-  
ter meus es tu, alleluja.

#### *Psalmus 88*

Misericordias Domini \* in æternum  
cantabo.

In generationem et generationem \* an-  
nuntiabo veritatem tuam in ore meo.

Quoniam dixisti: In æternum miseri-  
cordia ædificabitur in cælis: \* præparabi-  
tur veritas tua in eis.

Disposui testamentum electis meis, ju-  
ravi David, servo meo: \* Usque in æter-  
num præparabo semēn tuūm.

Et ædificabo in generationem et genera-  
tionem \* sedem tuam.

Confitebuntur cæli mirabilia tua, Do-  
mine: \* etenim veritatem tuam in ecclesia  
sanctorum.

Quoniam quis in nubibus æquabitur Do-  
mino: \* similis erit Deo in filiis Dei?

Deus, qui glorificatur in consilio san-

ctorum: \* magnus et terribilis super omnes qui in circuitu ejus sunt.

Domine, Deus virtutum, quis similis tibi? \* potens es, Domine, et veritas tua in circuitu tuo.

Tu dominaris potestati maris: \* motum autem fluctuum ejus tu mitigas.

Tu humiliasti sicut vulneratum, superbum: \* in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.

Tui sunt cæli, et tua est terra, orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti: \* aquilonem, et mare tu creasti.

Thabor et Hermon in nomine tuo exsultabunt: \* tuum brachium cum potentia.

Firmetur manus tua, et exaltetur dæstra tua: \* justitia et judicium præparatio sedis tuæ.

Misericordia et veritas præcedent faciem tuam: \* beatus populus, qui scit jubilationem.

Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exsultabunt tota die: \* et in justitia tua exaltabuntur.

Quoniam gloria virtutis eorum tu es: \* et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nostrum.

Quia Domini est assumptio nostra, \* et Sancti Israel, regis nostri.

Tunc locutus es in visione sanctis tuis,  
et dixisti: \* Posui adjutorium in potente,  
et exaltavi electum de plebe mea.

Inveni David, servum meum: \* oleo  
sancto meo unxi eum.

Manus enim mea auxiliabitur ei: \* et  
brachium meum confortabit eum.

Nihil proficiet inimicus in eo, \* et filius  
iniquitatis non apponet nocere ei.

Et concidam a facie ipsius inimicos  
ejus: \* et odientes eum in fugam con-  
vertam.

Et veritas mea, et misericordia mea cum  
ipso: \* et in nomine meo exaltabitur  
cornu ejus.

Et ponam in mari manum ejus: \* et in  
fluminibus dexteram ejus.

Ipse invocabit me: Pater meus es tu:  
\* Deus meus, et susceptor salutis meæ.

Et ego primogenitum ponam illum \*  
excelsum præ regibus terræ.

In æternum servabo illi misericordiam  
meam: \* et testamentum meum fidele ipsi.

Et ponam in sæculum sæculi semen  
ejus: \* et thronum ejus sicut dies cæli.

Si autem dereliquerint filii ejus legem  
meam: \* et in judiciis meis non ambula-  
verint:

Si justitias meas profanaverint: \* et  
mandata mea non custodierint:

Visitabo in virga iniquitates eorum: \*  
et in verberibus peccata eorum.

Misericordiam autem meam non disper-  
gam ab eo: \* neque nocebo in veritate  
mea:

Neque profanabo testamentum meum:  
\* et quæ procedunt de labiis meis non fa-  
ciam irrita.

Semel juravi in sancto meo: Si David  
mentiar: \* semen ejus in æternum ma-  
nebit.

Et thronus ejus sicut sol in conspectu  
meo, \* et sicut luna perfecta in æternum,  
et testis in cælo fidelis.

Tu vero repulisti et despexisti: \* distu-  
listi Christum tuum.

Evertisti testamentum servi tui: \* pro-  
fanasti in terra Sanctuarium ejus.

Destruxisti omnes sepes ejus: \* posui-  
sti firmamentum ejus formidinem.

Diripuerunt eum omnes transeuntes  
viam: \* factus est opprobrium vicinis  
suis.

Exaltasti dexteram deprimentium eum:  
\* lætificasti omnes inimicos ejus.

Avertisti adjutorium gladii ejus: \* et  
non es auxiliatus ei in bello.

Destruisti eum ab emundatione: \* et sedem ejus in terram collisisti.

Minorasti dies temporis ejus: \* perfudi-  
disti eum confusione.

Usquequo, Domine, avertis in finem: \* exar-  
descet sicut ignis ira tua?

Memorare quæ mea substantia: \* num-  
quid enim vane constituisti omnes filias  
hominum?

Quis est homo, qui vivet, et non videbit  
mortem: \* eruet animam suam de manu  
inferi?

Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Do-  
mine, \* sicut jurasti David in veritate  
tua?

Memor esto, Domine, opprobrii ser-  
vorum tuorum \* (quod continui in sinu  
meo) multarum Gentium.

Quod exprobraverunt inimici tui, Do-  
mine, \* quod exprobraverunt commuta-  
tionem Christi tui.

Benedictus Dominus in æternum: \* fiat  
fiat.

Gloria Patri.

*Ant.* Ipse invocabit me, alleluja: Pater  
meus es tu, alleluja.

*Ant.* Lætentur cœli \* et exsultet terra  
ante faciem Domini, quoniam venit,

*Psalmus 95.*

Cantate Domino canticum novum: \*  
cantate Domino, omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini  
ejus: \* annuntiate de die in diem salutare  
ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus,  
\* in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et lauda-  
bilis nimis: \* terribilis est super omnes  
deos.

Quoniam omnes dii Gentium dæmonia:  
\* Dominus autem cælos fecit.

Confessio, et pulchritudo in conspectu  
ejus: \* sanctimonia et magnificentia in  
sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ Gentium, af-  
ferte Domino gloriam et honorem: \* af-  
ferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus:  
\* adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa  
terra: \* dicite in Gentibus quia Dominus  
regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui nom  
commovebitur: \* judicabit populos in  
æquitate.

Lætentur cæli, et exsultet terra: com-

moveatur mare, et plenitudo ejus: \* gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exsultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini, quia venit: \* quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate, \* et populos in veritate sua.

Gloria Patri,

*Ant.* Lætentur cæli et exsultet terra ante faciem Domini, quoniam venit.

*Ant.* Notum fecit \* Dominus, alleluja,  
salutare suum, alleluja.

*Psalmus 97*

Cantate Domino canticum novum,  
quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus: \* et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum:  
\* in conspectu Gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ, \* et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ \* salutare Dei nostri.

Jubilate Deo, omnis terra: \* cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara



et voce psalmi: \* in tubis ductilibus, et  
voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu regis Domini: \*  
moveatur mare, et plenitudo ejus: orbis  
terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudet manu, simul montes  
exsultabunt a conspectu Domini: \* quo-  
niā venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia,  
\* et populos in æquitate.

Gloria Patri.

*Ant.* Notum fecit Dominus, alleluja,  
salutare suum, alleluja.

V). Ipse invocabit me, alleluja.

R). Pater meus es tu, alleluja.

Pater noster *secreto usque ad*

V). Et ne nos inducas in temptationem.

R). Sed libera nos a malo.

*Absolutio* A vinculis peccatorum no-  
strorum absolvat nos omnipotens et mi-  
sericors Dominus.

R). Amen.

V). Jubē, domne, benedicere.

*Benedictio* Evangelica lectio sit nobis  
salus et protectio.

R). Amen.

Lectio sancti Evangelli secundum Lucam

*Lectio VII Cap. 2, 1-14*

In illo tempore: Exiit edictum a Cæsare Augusto, ut describeretur universus orbis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ

*Homilia 8 in Evangelia*

Quia, largiente Domino, Missarum solemnia tēr hodie celebraturi sumus, loquidiu de evangelica lectione non possumus: sed nos aliquid vel breviter dicere. Redemptoris nostri nativitas ipsa compellit. Quid est enim, quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc, quod aperte monstratur, quia ille apparebat in carne, qui electos suos adscriberet in æternitate? Quo contra de reprobis per prophetam dicitur: Delean tur de libro viventium, et cum justis non scribantur. Qui bene etiam in Bethlehem nascitur. Bethlehem quippe domus panis interpretatur. Ipse namque est, qui ait: Ego sum panis vivus, qui de cælo descendit. Locus ergo in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est: quia futurum pro-

fecto erat, ut ille ibi per materiam carnis appareret, qui electorum mentes interna satietate reficeret: Qui non in parentum domo, sed in via nascitur: ut profecto ostenderet, quia per humanitatem suam, quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur.

v). Tu autem, Domine, miserere nobis.

R). Deo gratias.

R). Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverut æterni Patris Filium: et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum: \* Qui hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est.

v). Dies sanctificatus illuxit nobis: venite, Gentes, et adorate Dominum.

R). Qui hodie pro salute mundi de Virgine nasci dignatus est.

v). Jube, domine, benedicere.

*Benedictio* Per Evangelica dicta de-  
leantur nostra delicta.

R). Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam

*Lectio VIII Cap. 2, 15-20*

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod fac-

tum est, quod Dominus ostendit nobis.  
Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii Episcopi  
*Lib. 2 in c. 2 Lucæ, circa medium*

Videte Ecclesiæ surgentis exordium. Christus nascitur, et pastores vigilare cœperunt: qui gentium greges, pecudum modo ante viventes, in caulam Domini congregarent, ne quos spiritualium bestiarum, per offusas noctium tenebras patrarentur incursus. Et bene pastores vigilant, quos bonus pastor informat. Grex igitur populus, nox sæculum, pastores sunt sacerdotes. Aut fortasse etiam ille sit pastor, cui dicitur: Esto vigilans, et confirma. Quia non solum episcopos ad tuerendum gregem Dominus ordinavit, sed etiam Angelos destinavit.

V). Tu autem, Domine, miserere nobis.

R). Deo gratias.

R). Verbum caro factum est, et habitavit in nobis: \* Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

V). Omnia per ipsum factu sunt, et sine ipso factum est nihil.

R). Et vidimus gloriam ejus, gloriam

quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

v). Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.

R). Et vidimus glòriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

v). Jube, domne, benedicere.

*Benedictio Verba sancti Evangelii doceat nos Christus Filius Dei.*

R). Amen.

Lectio sancti Evangelii secundum Joanem

*Lectio IX Cap. I, 1-14*

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi

*Tract. I in Joan, circa medium*

Ne vile aliquid putas quale consuevisti cogitare, cum verba humana soleres audire, audi quid cogites. Deus erat Verbum. Exeat nunc nescio quis infidelis Arianus, et dicat, quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri, ut Verbum

Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum est; per quod aliud verbum factum est? Si hoc dicis, quia hoc est verbum Verbi, per quod factum est illud: ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis verbum Verbi, concede non factum, per quod facta sunt omnia. Non enim per seipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia. Crede ergo Evangelistæ.

V). Tu autem, Domine, miserere nobis.  
R). Deo gratias.

*Hymnus Ambrosianus*

Te Deum laudamus: \* te Dominum contemur.

Te æternum Patrem \* omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli, \* tibi Cæli, et univeræ Potestates:

Tibi Cherubim et Seraphim \* incessibili voce proclamant:

Sanctus, \* Sanctus, \* Sanctus \* Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cæli et terra \* majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus \* Apostolorum chorus,

Te Prophetarum \* laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus \* laudat exercitus.

Te per orbem terrarum \* sancta confitetur Ecclesia,

Patrem \* immensæ majestatis;

Venerandum tuum verum \* et unicum Filium;

Sanctum quoque \* Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, \* Christe.

Tu Patris \* sempiternus es Filius.

Tu, ad liberandum suscepturus hominem, \* non horruisti Virginis uterum.

Tu, devicto mortis aculeo, \* aperuisti credentibus regna cælorum.

Tu ad dexteram Dei sedes \* in gloria Patris.

Judex crederis \* esse venturus.

Sequens versus dicitur flexis genibus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, \* quos pretioso sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis \* in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine \* et benedic hereditati tuæ.

Et rege eos, \* et extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies \* benedicimus te;

Et laudamus nomes tuum in sæculum,  
\* et in sæculum sæculi.

Dignare, Domine, die isto \* sine peccato  
nos custodire.

Miserere nostri, Domine, \* miserere no-  
stri.

Fiat misericordia tua, Domine, super  
nos, \* quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi: \* non confun-  
dar in æternum.

V). Domine, exaudi orationem meam.

R). Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

*Oratio*

Concede, quæsumus omnipotens Deus:  
ut nos Unigeniti tui nova per carnem na-  
tivitas liberet; quos sub peccati jugo ve-  
tusta servitus tenet. Per eumdem Domi-  
num nostrum.

V). Benedicamus Domino.

R). Deo gratias.

*Et fidelium animæ. Amen.*



